A. D. 1913. N^RUS XII.

CURRENDA

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

UNIFORMES DECERNUNTUR INDULGENTIAE CRUCIBUS, QUAE „A MISSIONIBUS“ NUNCUPANTUR.

Ut piarum missionum, quas ad populum verbi Dei praecones habuerint, memoria perseveret ac fructus, passim usu receptum est, ut Crux aliqua, sive in templis, sive apud illa, sive etiam penitus in aprico, rite benedicta erigatur. Vivificum Redemptionis signum aptum est nimirum ad Religionis reclamanda praecepta, ad poenitentiae insinuanda proposita, ad spem futurorum erigendam. Ordinaria Episcoporum auctoritas et Apostolicae Sedis liberalitas censuerunt iampridem, munere Indulgentiarum esse ditandos, qui pie se ad haec Signa converterint. Placuit porro Ssmo D. N. D. Pio Pp. X., de Emmorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium consulto, variam in re tollere mensuram, et conformes ubique concedere Indulgentias. In audientia igitur R. P. D. Adsessori S. Officii feria IV. loco V. die 13. augusti 1913. impertita, apostolica Sua utens auctoritate, abrogavit beatissimus Pater omnes hucusque, etiam a Se Suisve praedecessoribus, Crucibus missionum adnexas Indulgentias, quacumque id factum fuerit vel solemniori forma, quolibet, etiam peculiari et specifica mentione digno, Personarum vel Religiosorum Institutorum privilegio, et sequentes novas, sub enunciandis conditionibus, tribuere dignatus est:

I. Plenariam defunctis quoque adplicabilem:

1) die erectionis seu benedictionis ipsius Crucis memorialis;

2) die anniversario eiusdem erectionis seu benedictionis;

3) die festo Inventionis S. Crucis (3. maii);

4) die festo Exaltationis S. Crucis (14. septembris), vel uno ex septem respective sequentibus diebus.

Ad hac Indulgentias assequendas oportet ut, fideles Ssmam Eucharistiam, rite expiati, suscipiant, Crucem praedictam et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitent, atque ad mentem Summi Pontificis preces fundant.

II. Partialem, quinque annorum totidemque quadragenarum, similiter adplicabilem, semel in die ab iis fidelibus lucrandam, qui corde saltem contrito

supradictam Crucem aliquo devotionis signo exteriori salutaverint, ac *Pater*, *Ave* et *Gloria* in memoriam Dominicae Passionis recitaverint.

Esto autem Crux erigenda ex solida decoraque materia confecta; determinato loco adhaereat, vel basi firmiter sustentetur; benedicatur per sacerdotem, qui in S. Missione conciones habuerit; accedat insuper, pro his peragendis, consensus Ordinarii loci.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

M. CARD. RAMPOLLA

L. † S.

† Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

L. 5645.

Podajemy wykaz przywilejów i władz nadanych przez Stolicę Apostolską tym kapłanom, którzy są dyrektorami kółek Stowarzyszenia Rozkrzewiania św. Wiary.

PRIVILEGIA ET FACULTATES

AB APOSTOLICA SEDE CONCESSA

SACERDOTIBUS, QUI PIO OPERI PROPAGATIONIS FIDEI

OPERAM SUAM IMPENDUNT.

I. Cuique Sacerdoti, cui munus demandatum fuerit in aliqua Paroecia, aut in aliqua Communitate, colligendi eleemosynas pro Pio Opere Propagationis Fidei, quantacumque sit pecuniae vis, quae ab ipso colligatur, aut etiam, qui de propria stipe in capsam eiusdem Pii Operis inferat pecuniae summam illi parem, quam una solveret decuria, conceditur:

1. privilegium personale Altaris tribus in qualibet hebdomada diebus;

2. facultas elargiendi cum adnexa plenaria Indulgentia Benedictionem christifidelibus in articulo mortis constitutis, servato ritu et forma a s. m. Benedicto XIV. praescriptis in Constitutione, quae incipit *Pia Mater*;

3. facultas benedicendi unico Crucis signo, privatim quandocumque, publice vero tempore Missionum, Spiritualium Exercitiorum, Adventus et Quadragesimae, quando conciones ad populum habuerint, coronas, cruces, crucifixos, parvas statuas ac sacra numismata, eisque applicandi indulgentias *Apostolicas* nuncupatas nec non coronis eas, quae a S. Birgitta nomen habent;

4. facultas benedicendi, unico Crucis signo, coronas iuxta typum coronarum SS. Rosarii confectas, eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris nuncupatas;

5. facultas applicandi crucifixis indulgentias sanctae Viae Crucis pro infirmis, navigantibus, carceribus detentis, in partibus infidelium commorantibus

aliisque a visitandis eiusdem Viae Crucis stationibus legitime impeditis; servatis tamen ceteris conditionibus;

6. facultas benedicendi ac imponendi christifidelibus, servatis servandis, Scapularia SSmae Trinitatis, Passionis D. N. Jesu Christi, Septem Dolorum ac Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virg., nec non B. Mariae Virg. a Monte Carmelo, cum potestate adhibendi unicam formulam in eorum benedictione;

7. facultas adscribendi christifideles Tertio Ordini Saeculari S. Francisci Assis., benedicendo ac imponendo Scapulare et Cingulum, ceteris servatis servandis;

8. facultas adscribendi christifideles Archiconfraternitati Chordigerorum benedicendo et imponendo Cingulum seraphicum;

9. facultas adscribendi christifideles Sodalitati Militiae Angelicae, benedicendo atque imponendo Cingulum S. Thomae Aquinatis;

10. facultas benedicendi, cum adnexis indulgentiis, numisma B. Mariae Virg. Immaculatae;

11. facultas benedicendi, cum adnexis indulgentiis, numisma S. Benedicti Abb

II. Cuique pariter Sacerdoti, qui ad quodcumque Consilium, seu Comitatum ipsi Pio Operi dirigendo, vel promovendo pertinet, aut etiam, qui ab Episcopo designatus Rector Dioecesanus omnibus fungitur muneribus, quae forent explenda per Consilium seu Comitatum eiusdem Pii Operis, nec non Sacerdoti, qui in anno summam respondentem mille subscriptionibus in capsam Pii Operis intulerit, undecumque eam acceperit, conceduntur:

1. facultates omnes superius enumeratae;
2. privilegium personale Altaris quinquies in hebdomada;
3. facultas benedicendi, cum adnexis indulgentiis, coronas SS. Rosarii B. Mariae Virg.

Quod si contingat incompletam esse hic et nunc pecuniae summam, quae perdurante anni cursu foret colligenda, nihilominos Sacerdos, qui anni praecedentis summam integram collegerit, praefatis privilegiis et facultatibus uti poterit usque ad finem computationis currentis.

III. Cuique similiter Sacerdoti, qui ex aere proprio in capsam Pii Operis intulerit summam, quae illam aequet, quam mille adscripti solverint, conceditur, ut eius vita naturali perdurante gaudere valeat omnibus privilegiis et facultatibus, quibus gaudet quilibet ex Sacerdotibus in numero II. recensitis, qui Consiliarii constituti sunt eiusdem Pii Operis.

Die 26. iunii 1913.

Cum praesens elenchus et authenticis documentis fideliter sit excerptus Suprema S. Congregatio S. Officii illum publicari typisque mandari permisit.

De mandato D. Cardinalis Secretarii
ALOISIUS GIAMBENE
Substitutus pro Indulgentiis.

L. 4919. **Polecenia.**

Ks. Dr. Alojzy Jougan. Kancelarya parafialna czyli zbiór przepisów kościelnych i państwowych dla urzędów parafialnych z szczególniejszem uwzględnieniem ksiąg metrykalnych. Lwów 1912.

Pod tym tytułem wydał autor nader praktyczny i treściwy podręcznik dla urzędów parafialnych, niezbędny dla każdego kapłana pracującego w duszpasterstwie. W 3 tomach a w 5 częściach przedstawia autor jasno i krótko, na podstawie najnowszych praw kościelnych i świeckich, co powinien wiedzieć każdy duszpasterz zwłaszcza prowadzący kancelaryę parafialną. Przy pomocy tej ksiązki da sobie radę nawet w trudniejszych i bardziej zawiłych przypadkach. Znajdzie tam także rzecz o arkuszach gruntowych, fasyach, inwentarzu i t. p. obok licznych formularzy próśb i innych pism urzędowych.

Wartość praktyczną tego dzieła podnoszą trzy dodatki umieszczone przy końcu tomu trzeciego, a zawierające: wykaz wszystkich formularzy znajdujących się w całem dziele, słowniczek polsko-łaciński tak bardzo potrzebny zwłaszcza do prowadzenia ksiąg metrykalnych i bardzo dokładny alfabetyczny spis rzeczy.

Dla swych zalet zasługuje ten podręcznik na to, aby się znalazł w bibliotece każdego duszpasterza.

MUTATIONES INTER VENERABILEM CLERUM:

Ad proprias preces ab officio liberati: P. T. DD. Jankowski Vincentius Decanus Tymbarkensis et Dr. Mysor Ladislaus, Professor Iuris can. in Semin. dioeces.

Nominatus: R. Clmus Iur. can. Dr. Bulanda Stanislaus, Protocollista et Registrator Curia Eppalis et Prof Iur. canon. in Semin. dioec.

Constituti: A. R. Dni Kumorek Simon, Parochus in Tymbark, Vice-Decanus Tymbarkensis Decanus et Gawroński Antonius, Parochus in Skrzydlna, Vice-Decanus eiusdem Decanatus; Grochowski Stanislaus, Commissarius Epp. pro doctrina religionis in scholis popul. Decanatus Mielecensis, praeter scholas parochiae Mielecensis.

Piis ad aram precibus commendatur:

Anima p. m. Rybicki Ignatii, presbyteri Archidioec. Leopolien. rit. lat., emer. c. r. Inspectoris scholarum popul. districtus Dąbrovaënsis, qui die 15. Octobris a. c. pie in Domino abdormivit.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 1. listopada 1913.

Ks. Dr Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.